Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	M. Dan. Guil. Molleri, Histor. & Metaphys. Prof. Publ. h.t. Academiae Rectoris, Invitatio ad audiendas Controversias Metaphysicas
Ersteller:	Daniel Wilhelm Moller
Signatur:	Will. V. 666. 4°

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

poribus laureolam in id generis muſtaceo quæſitam fuiſſe. Et quidem diffiteri non poſſum, maximos ex omni ætate ſtrepitus, in Philoſophia potiſſimum, ſurrexiſſe, imò etiam tantos, ut tintinnabulo Boccalini propemodum opus fuerit, cujus agitatione Parnaſſo pax publica redderetur, ceu de Alcaheſticâ aquâ JOH. DAN. MAIOR. *in Genii errant. cap. XIX.* loqui amat: præſertim ſi *Metaphyſicos* in mirè fictis verborum pampinis laſcivientes accuratius intueamur. Neq; verò me latet, omnibus omninò, qui qualiacunq; Muſarum caſtra ſequuntur, plurimos exantlandos eſſe labores, plurimas concoquendas moleſtias, plurima ſubeunda pericula, plurimasq; perſcrutandas controverſias. Nam quanto quæſo ſtudio in Theologiæ itur ſacraria? perreptanda ſunt omnia Orientis regna; excutienda tota Hellas; pervolvenda & ediſcenda penè vaſtiſſima volumina; pugnandum cum infinitis Hæreſium hydris, quibus, quo plura decuſſeris, eò plura ſuccreſcunt capita: Quanto conatu ad Aſtrææ tribunal via ſternitur? magna hîc jurium, magna factorum rerumq; varietas occurrit; recinenda hîc eſſet vetus illa AMELII querela; Juriſprudentiam multorum camelorum onus eſſe: Sed adde nunc omnes ex India elephantos, ex Germania equos, & vix ferent: expugnanda horribilia illa Gloſſatorum agmina, profligandæ turbulentæ litigiorum turmæ, proſternendæ tumultuantes jurgiorum catervæ: Quanto labore ac ſudore ad Apollinis caſtellum adſcenditur? perrumpenda ſunt totius Naturæ penetralia, ejusq; ex clauſtris producenda, quæ ad hominum ſalutem facere poſſe videbuntur; eruendi è carbonibus theſauri, atq; limites multò latiùs quàm humani corporis anguſtia patitur, extendendi. Cum *Philoſophis* autem, verè non minùs quàm ſapienter ait D. G. MORHOF. *in Orat. Inaug. Kilon. Acad. p. 42. omnium agitur miſerrimè, quibus longè auguſtiora & diffuſiora ſunt ſtudia: Illis enim non iſte ſolùm Orbis pro libro eſt, & utramq; facit paginam; ſed ultra illum, extra ſidera, extra Solis Lunæq; vias, extra omnia, quæ ſub ſenſum cadunt, eundum, divina omnia & humana perquirenda, ut profectò qui ſolidam illorum acquirere ſcientiam velit, Siſyphi volvere ſaxum videatur.* Adeò hîc varia omnia, adeò tricis intertexta, adeò nodis pluſquam Gordiis obſepta, non Alexandri cujusdam gladio, ſed mentis acumine ſecandis.

Nolo equidem eas nunc volvere cogitationes, quaſi nullam prorſus ex accuratiore Controverſiarum notitiâ utilitatem expectare debeant Eruditi, quamvis homines noverim, qui qualibet in ſcientiâ & facultate ſoli duntaxat theſi, nunquam verò antitheſi addiſcendæ operam navandam eſſe autumarent; aliis tamen utile ſemper viſum eſt, poſt fundamenta in Diſciplinis ritè poſita, ad earum quoq; controverſias ſe conferre: quemadmodum enim Peregrinatoris prudentia non in eo ſolùm verſatur, ut commodè pedibus incedere, ac equo aut curru vehi ſciat; ſed inſuper, ut, ſollicitè cavendo ne uspiam impingat, pericula non neſciat, flexus itineris non ignoret, impedimenta non incognita habeat; ita bonarum artium Studioſus minimè contentus erit, præcepta diſciplinæ alicujus ad unguem, ceu dicitur, memoriâ tenuiſſe, principia ejusdem optimè imbibiſſe, concluſiones inde fabricatas probè animò cuſtodiviſſe, axiomata etiam atq; canones diligenter didiciſſe, ſed ultra iſthæc omnia, neceſſitas flagitat, ut ſtrophas adverſantium præcognoſcat, fallacias repugnantium præſciat, captiones contradicentium præcaveat, omnesq; molitiones controvertentium longè proſpiciat. Nimirum PRUDENTIA opus eſt in literis, quæ ab accuratiſſimo & exercitatiſſimo Diſputatore, nunquam ſine gratâ meritorum ſuorum inſignium memoriâ mihi nominando, DN J. C. DANNHAWERO *in Polemoſophiæ Artic. II §. X. p. 22.* conſtituitur triplex, PRUDENTIA, inquiendo, (1) *præteritæ hiſtoriæ memor.* Nam certaminis uniuscujusq; ab ovo ad mala in promtu eſſe debet hiſtoria: conſtare debet de primo ſemine diſſidii, de propagatione, mitigatione, interpellatione, ac præſenti adverſarii ſententiâ. Præluxit hîc facem noſter *Chemnitius in Exam. Concil. Trid.* (2) *Præſentis hoſtis exploratrix.* Hoſtium noſſe (adde præcipere ac præripere) conſilia, ſua celare, ſummum ad victoriam momentum habet. *Saladinum* auctor eſt *Egnat. l. 9. c. 8.* Germaniam, Gallias, Hiſpaniam peragraſſe, ut noſſet ingenia, quorum arma eſſet experturus? *vid. Frontin. l. 1. ſtrateg c. 2.* non multùm in diſputando proficiet, niſi qui Adverſarii quaſi perſonam prius induerit, omnemq; ejus ſententiam, ſententiæ fundamenta, effugia in ſuomet intellectu tanquam tabulâ expreſſa & perſpecta habuerit. Non inſuper hîc habendum monitum PHILOSOPHI, quo ſua Topica concludit: *Quoniam autem vitioſæ & iniquæ diſputationes cum quibusdam futuræ ſunt neceſſariò, nec cum quovis diſputationes inſtituere, nec quemlibet in ſocietatem exercitationis recipere debemus: nam adverſus eum qui hoc unum agit, hoc conatur, ut alterius argumenta quacunq; ratione eludat, æquum eſt omninò, diſputare tamen non ſemper decet. Quocirca non temere cum quibusvis exercitationis cauſsâ conſidendum eſt: hinc enim maledicta, contumeliæ, hinc iracundæ contentiones, concertationesq; naſcuntur. Neq; enim fieri poteſt, ut qui unum in locum diſcendi, exercendæq; artis gratiâ conveniunt, ſine concertationibus diſputare deſinant.* (3) *Futuri præcautrix:* ante prælium enim cogitandum de Inſtantiis, ac impreſſionibus novis,

quibus

technica, vel Pyronomica, Chimia moderna, Coquinaria, Optica, ejusq; ingenioſiſſima parte, Proſpectiva, Acuſtica, Muſica, Stathmica, Magnetographia, Mechanica, Chirurgia mechanicè demonſtrandâ, Anatome novâ conſtituendâ mathematicâ, Architectura, Gnomonicâ Horologiographiâ, Tacticâ novâ curioſorum Conclavium, Pictoria, Plaſtica, Statuariâ, ipsâq; demum Magiâ licitâ: utq; nihil adducam de Philoſophia experimentali, ſapidâ, corpuſculari, phoranomicofiguriſticâ, & aliâ quavis diſciplinâ ſeu antiquioribus ſeu recentioribus nominibus rebusq; refertâ: Proſcriptis itidem ſedibusq; ſuis expulſis Infinitivis, quos J. D. MAIOR *loc. cit. cap. XL.* attulit, nempe, *continuò diſputandi ac contradicendi ſtudio teneri: imò planè honeſtos Viros calumniari, aut ſarcaſmis illorum cogitata proſequi: ſophiſticationibus indulgere: ambitionem paſſim oſtendere: pertinaciter erroribus inhærere: conſultò non velle intelligi, & in cryptologia delicias inutiles venari: aut gloriæ aliorum clam palam invidere:* His, inquam, & omnibus aliis aliarum quarumlibet artium, ſcientiarum & facultatum controverſiis hac vice amplius ac prolixius non conſideratis, unius duntaxat METAPHYSICÆ controverſias libet intueri: Proh! quot quantæq; illæ? quàm excellentes? quàm ſubtiles? quàm penetrantes? quàm cogentes? quàm omni bono fructuq; abundantes exiſtunt? Nimirum, quæ Dea ac Patrona reliquarum diſciplinarum eſt, an ea controverſiis excellentiſſimis, ſubtiliſſimis, penetrantiſſimis & utiliſſimis non affluat? quæ Regina eſt omnidomina, an ea diſputationes ampliſſimas, perfectiſſimas & cogentiſſimas non habeat? Paucis ut multa complectar, Metaphyſica eſt Sal omnium Scientiarum: Sal verò ex ſententiâ JOH. SOPHRON. KOZAK. *Tractat. de Sale, cap. I. ſect. 3. p. 6.* omnium baſis eſt: nihil enim eſt ſine Sale, quod eſt. Sal ſolvit, Sal ligat, Sal attollit, Sal deprimit, coarctat, dilatat, vivificat & mortificat omnia: haud abſimili ratione Metaphyſica omnium Scientiarum firmamentū eſt, nihil enim ſine Methaphyſicâ in iisdem eſt, quod docetur, quod diſputatur, quod proponitur, Metaphyſica ſolvit, Metaphyſica illuſtrat, Metaphyſica diſtinguit, Metaphyſica refellit, ſtringit, enucleat, animat & exanimat omnia.

Quæ ſingula hactenus, efflagitante ita Muneris mei conditione, quà publicè, quà privatim, Auditoribus meis, quantâ fieri potuit dexteritate, inculcando, poſt prælectiones integrorum Compendiorum Metaphyſicorum *Scharffii, Stablii, Weiſſii, & du Val,* ad finem perductas, nec non abſolutas Canonum ex eâdem illâ Scientiâ Decades, jam nunc animum ad Controverſias Metaphyſicas, easq; *pauciores, ſelectiores, certiores, & utiliores,* opitulatore Deo expediendas, adjeci: quas uti aditum ad præſentem de Controverſiis ſermonem mihi patefeciſſe negare non poſſum, ita ex *libris* potiſſimum *Ariſtotelis* earundem uberiorem expoſitionem, conſiderationem, illuſtrationem, probationem, atq; deciſionem me potiſſimum afferre decreviſſe haudquaquam diffiteor, partim ut noſtræ aliarumq; Academiarum inſtitutis morem geram, nimiamq; philoſophandi libertatem ſuis finibus circumſcribam, quo de argumento legi meretur *Oratio de nimiâ philoſophandi libertate, à M. Mich. Falckio, Prof. Gedan. Ann. 1651. edita,* partim ut conſcientiæ animorumq; juventutis rationem habeam: Quò minùs enim CARTESII & ſequacium veſtigia, præcipuè in Metaphyſica, premere tutum ſit, non tàm meis, quàm ROBERTI FERGUSSONII verbis referre licuerit, qui in libro *Londini, An. 1675.* edito, cum titulo, *Intereſſe Rationis & Religionis,* in ſequentia verba *pag. 248.* erumpit: Affirmare mihi liceat, eſſe facillimum probare, Carteſianam hypotheſin tàm eſſe adverſam Religioni, quàm fuit ulla hactenus Philoſophia, Orbi cognita. Queis cum conſonat HENR. MORUS, quando in *Enchirid. Metaphyſ. Londini An. 1671.* vulgato, *num. 6.* præfationis ait: Verùm enim verò, ut res ſe nunc habent, ſi Philoſophiæ Carteſianæ, quâ Phyſicæ quâ Metaphyſicæ, ſtaretur, equidem horreo dicere in quantâ proclivitate, & quàm periculoſo in Atheiſmum præcipitio, Mortalium animi conſtituerentur; adeò nullum in illius philoſophandi rationibus occurrit, quod eos à prolapſu in hunc veſanum morbum prohibeat, ſatis firmum retinaculum. Taceo Curatorum, Ordinum, Conſulum Belgicorum, nec non Germanicarum quarundam Academiarum, de non prælegendis, docendis, aut explicandis Carteſii Scriptis, decreta, mandata, edicta & ſententias: Legiſſe interim, quod ad hanc materiam, ſat fuerit, *Epiſtolam ad Amicum reſponſoriam,* quam FRID. SPANHEMIUS *fil. S. Literar. & Antiquit. Prof. de Noviſſimis, circa Res ſacras in Belgio Diſſidiis, Lugduni Batav. A. 1677. publicæ luci expoſuit.* Neq; verò cuiquam ea inſidere debet cogitatio, quando de Ariſtotele paulò ante verba fecimus, adeò ſerviliter ubivis literæ illius ſcriptæ, tanquam ſaccum in æquilibrio ſupra dorſum aſini, inhærendum eſſe, quò minùs vel pro arbitrio quisq; ſuo æquiore, vel pro ratione firmiore aliquid ſtatuere queat: quin potiùs, ſi alicubi humani quidpiam eum paſſum eſſe cognoſceretur, modeſtè